



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Methodvs Expeditæ Confessionis Tum pro Confessarijs, tum pro Pœnitentibus**

**Tamburini, Tommaso**

**Coloniæ Agrippinæ, 1657**

De peccatis contra fidem, §. 1

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41773**

re queant. Alias rationes vide  
apud Doctores in margine modò  
citas

123 Ex hac doctrina, ut item  
ex hactenus dictis plura, & val-  
de utilia inferuntur ad Confes-  
siones expediendas. Quare &  
ea in sequentibus sigillatim sunt  
proponenda, & ut facilior me-  
thodus evadat, per singula De-  
calogi præcepta, pro iis, quæ ad  
nostrum institutum faciunt dis-  
currendum.

C A P. II.

De Confessione peccato-  
rum circa primum De-  
calogi præce-  
ptum.

§. I.

*De Peccatis contra Fidem.*

I S uppono, tanquam indi-  
gnum controversia, debe-



re in Confessione explicari: An peccatum contra fidem fuerit solum externum, an etiam internum cum errore intellectus: v.g. qui adorat Idolum absque errore, quo credat ibi adesse divinitatem, est Idololatra externus; at cum ejusmodi errore: est item hæreticus. Cum igitur per illum errorem addatur peccatum specie diversum; sine dubio poenitentiae tribunali erit subjiendum.

*a Sanc. in  
Dec. l. 2.  
c. 37. à n.  
21.*

2. Iam verò loquendo de ipso hæresis crimine: Triplici modo posset quis in errores contra fidem incidere. Primò negando, vel deliberatè dubitando de articulis fidei. Atque hic sufficienter confitetur si dicat, se prolapsum in hæresim; nec opus habet explicare qualitates errorum, seu articulos, in quibus contra fidem sensit. Ratio est, quia quoad hanc præcisam negationem omnia peccata contra fidem

*b Regin.  
to. 1. l. 6.  
c. 4, n. 114*



fidem sunt ejusdem speciei; eum omnia opponantur obligationi credendi objecta, per fidem sufficienter proposita.

3 Secundò posset quis errare contra fidem non solum negando, sed etiam addendo aliquid, quod aliam speciem peccati adjungat supra hæresim, hoc est Blasphemiam contra Dei honorem. Ut si quis neget à Pilato condemnatum fuisse Christum Dominum, est solum hæreticus; at si neget Deum esse bonum, vel circa illud ipsum de Pilato dicat justè ab eo Christum Dominum fuisse condemnatum: non solum est hæreticus, sed Blasphemus. Id igitur expressè Confessori aperiendum non est ambigendum. c

c *Castrop.*

4 Tertiò posset quis errare eandem fidem non solum negando, & blasphemando, sed insuper volendo acceptare aliquam sectam fidei oppositam,

to 1. tr. 4.

d. 2. p. 2.

n. 6.

v.g.



*dIdem. ib.*

v: g. Iudaismum, Paganismum,  
&c. & tunc id debere explicari,  
saltem pro ipsa praxi, certum ju-  
dico. *d* Ratio est, quia singulæ  
hæsectæ communiter superad-  
dunt hæresi, seu negationi fidei  
aliqua alia peccata specie diver-  
sa ab ipsa hæresi. Qui v. g. am-  
plecti vult Iudaismum; eligit  
circumcidi, quæ est species su-  
perstitionis. Qui Paganismum;  
vult Idola colere, quæ est spe-  
cies, seu peccatum Idololatriæ,  
&c.

§ Porro unum superest de-  
cernendum. An teneatur Ape-  
stata à fide Apostasiam in Con-  
fessione declarare. Explico.  
Qui suscepit Baptismum, si for-  
tè cadat in hæresim, debetne di-  
cere se in hæresim esse prola-  
psum post susceptum Baptismū  
an satis erit dicere dumtaxat se  
in hæresim incidisse: quod est  
quærere, An infidelitas ante  
Baptis-



Baptismum, & post Baptismum  
concepta, specie differat.

6 Dico probabile esse non  
differre, e quare satis esse fateri,  
se in hæresim fuisse prolapsum.  
Ratio est, quia non apparet un-  
de specifica differentia sumi ra-  
tionabiliter possit. Vel enim  
sumitur ex eo, quod se quis sub-  
trahit ab obedientia fidei : vel  
quoad committat specialem ir-  
reverentiam, contra eandem fi-  
dem, semel in Baptismo susce-  
ptam. Prius non affert novam  
speciem, quia probabilius est  
in Baptismo nullum fieri votum,  
aut promissionem de obedientia  
fidei: & ex altera parte illa ne-  
gatio universalis subjectionis  
ad Deum, quam continet infide-  
litas, satis explicatur, cum quis  
fateretur se noluisse fidem Nec  
posterius: quia illa irreverentia  
eodem modo explicatur, dum di-  
citur ipse lapsus in hæresim.

e De Lug.  
de pœn. d.  
16. sect. 5.  
n. 294.  
cōt Suar.  
Sanch. a-  
lioque ab  
ead. cit.

f Sanc. l. 4  
in Dec. c. 1  
n. ult.